



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio IV. An objectum Theologiae naturalis sit complexum, & an detur
ordo prioris, & posterioris inter objecta illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

tum, quia omnes illarum cognitiones referuntur ad cognitionem Dei tanquam ad finem naturalem.

Sed contra, quia verum est eo argumento effici ceterarum facultatum rationes referri ad assequendam Dei cognitionem, sed hoc remotissime quidem, & nihilominus propterea Aristoteles eas facultates, ac scientias docet ministras esse, & ancillas metaphysicæ, cui famulantur instrucentes intellectum, ut per illas mens nostra gradum faciat ad Deum, imo D. Thomas etiam ait finem actionum ludicarum esse contemplationem Dei; at vero non ideo potest dici Deum esse obiectum attributionis illarum, quia cum Deus secundum se non cognoscatur per illas scientias, respectu illarum minime Deus subiectum attributionis dicitur; Physicus enim tantum attingit Deum, ut primum principium motus, sed non perscrutatur perfectiones eius, quod facit data opera metaphysica, ut de subiecto per se illius, & eius cognitio est finis ceterarum cognitionum in metaphysica; ergo illi conveniunt omnia, quæ dicuntur de subiecto attributionis.

26 Tandem ex ultima parte notabilis, quia Deus est summe necessarius, & nulla potentia defectibilis, continetque omnes veritates subiectorum metaphysicæ tam formaliter, quam eminenter, formaliter quæ sunt simpliciter simplices nullam in se perfectionem admittentes, quæ sunt de ente, & substantia ut sic, & de attributis illius, veritates autem, quæ pertinent ad substantia creata particularia eminenter continet, quia continet radicem illarum veritatum eminenter, quæ est omne subiectum creatum; ergo evidenter sequitur, quod Deus sit subiectum attributionis huius scientiæ.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversa solvuntur.

27 Ad loca Aristotelis Respondeo, quod illa forma probant, quod si inferiora entis, v. g. substantia ut sic, & accidens comparentur inter se, substantiam esse simpliciter ens respectu accidentis, & per consequens de illa principaliter esse agendum, præter illam vero de accidenti, cum autem inter substantias omnium præstantissima sit Deus, in cuius notitiam tandem substantiæ creatæ cognitio ultimatè referatur, inde est quod Deus absolute sit dicendus subiectum attributionis, sed nihilominus potest etiam substantia sortiri aliquo modo respectu accidentis rationem subiecti attributionis, sicut enim finis absolute dicitur illud, ad quod ultimatè ordinantur omnia, & nihilominus unum medium comparatione alterius antecedentis finis secundum quid dicitur, non tamen simpliciter & absolute, quia illud etiam medium ultimatè ordinatur ad finem simpliciter, ita contingit in substantia, & ideo, ut explicat D. Th. in metaphysica sup. lib. 7. *Arist. eod. lib. 7. c. 2.* substantia materialis in esse scibilis ordinatur ad substantiam spirituales, huius enim gratia (inquit loquens de spirituali) de sensibilibus substantijs definite tentamus, ipsæ autem sensibiles & spirituales substantiæ creatæ revocantur tanquam ad ultimum finem simpliciter, & absolute ad substantiam increatam, quæ est Deus, & sic est absolute, & simpliciter subiectum attributionis totius materiæ.

Ad secundum, si consequens intelligatur de cognoscibilibus quocunque lumine etiam divino, ut argumento intenditur, neganda est consequentia, ad probationem dicimus vnamquamque scientiam solum se extendere ad ea cognoscibilia, quæ in suo subiecto ex lumine naturali, & finito principiorum solum se extendit ad ea, quæ deducuntur ex talibus principiis, unde finita erunt sicut v. g. Theologia scholastica licet habeat pro subiecto Deum, cum procedat ex lumine divinæ revelationis, solum se extendit ad ea, quæ deducuntur ex revelatis, & Theologia Beatorum quia procedit lumine gloriæ solum se extendit ad ea, quæ eodem lumine concipi possunt, quæ eo plura erunt, quo lumen maius, vel minus fuerit.

Ad ultimum respondeo negando maiorem, 29 ad probationem illius dicendum, scientias non distingui specie per substantiam quoad rationem, quæ scitur, & quæ proprie est subiectum attributionis, sed quoad rationem sub qua, & propter quam scitur res, unde quia in Deo, alia atque alia est ratio cognoscibilis, quatenus vel lumine rationis naturalis, vel divinæ revelationis, vel gloriæ, vel denique ipso increato lumine menti divinæ adæquato cognosci potest, sit ut Theologia naturalis, Theologia scholastica, ac Beatorum Theologia, ac tandem divina scientia specie inter se distinguantur; esto earum omnium subiectum attributionis sit Deus.

QUESTIO IV.

An obiectum Theologia naturalis, sit complexum, & an detur ordo prioris, & posterioris inter obiecta illius.

Prima conclusio, certum est obiectum quod attingitur scientiæ ab hac scientia esse complexum, id est veritas complexa, quæ vel immediate se attingitur, ut sunt principia metaphysica, v. g. quicquid producit, ab alio producit, &c. vel veritates, quæ mediatis principijs cognoscuntur, ut sunt conclusiones, quæ ut propositiones, & actus iudicii habent complexiorem in se, in qua obiectum distinguitur à subiecto, quia subiectum simplex est, & incomplexum, cum sit subiectum propositionis, & prædicationis in qua aliquid de illo prædicatur, & enunciat; obiectum autem est ipsa prædictio, seu enunciatio, & ideo quid complexum debet esse, ut probatum manet, in logica tractat. de posteriori resolutione. Hæc conclusio sic probatur, quia obiectum cuius habitus intellectualis est simplex vel complexum ex modo tendendi intellectus medio illo habitu in tale obiectum, vel complexum componendo, & dividendo vel simpliciter sine ulla compositione, ut Deus vel Angelus tendunt in obiectum, sed modus tendendi intellectus nostri mediante metaphysica, imo media quacunque scientia est complexus, tum quia vnaquæque scientia discursiva est, & per discursus cognoscitur, tum quia hoc est ingenitum, & connaturale intellectui humano, dum est in corpore, ergo obiectum Theologiæ naturalis est complexum: maior sic probatur, quia obiectum fidei divinæ est complexum, ut asserunt omnes scholastici in 3. distict. 23. & 24. tum etiam cum D. Th. 2. 2. q. 1. art. 2. & non propter aliam rationem, sed solum quia

quia intellectus noster circa obiectum fidei tendit componendo & dividendo, & hæc ratio ut vnica sufficiens, & adæquata tribuitur ad Th. *ibidem in corpore*, his verbis, Respondeo dicendum, quod cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis, est autem modus proprius humani intellectus, ut componendo, & dividendo veritatem cognoscat, & ideo ea quæ secundum se sunt simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexionem, sicut est converso intellectus divinus incomplexè cognoscit ea quæ secundum se sunt complexa, & secundum hoc, obiectum fidei est complexum ecce verba luce clariora D. Th. ad probandum; nostrum intentum, ergo ex modo cognoscendi intellectus obiectum, dicitur simplex vel complexum.

2. Secundò, quia nihil aliud est obiectum scientiæ prout à subiecto distinguitur, nisi id quod vel præcognoscitur ante conclusionem ut sunt principia complexa, quæ præmissæ obiectivæ vocantur, vel id quod primo, & principaliter cognoscitur a scientia, & intenditur per discursum, conclusio nimirum obiectiva in probabiliori sententia, & in aliorum formalis, quæ cum sit propositio & actus iudicii, complexum quid est; illa enim tota cognoscitur, v. g. in scientia de homine, hæc propositio tota homo est risibilis, ergo obiectum est complexum hæc consequentia patet, id est cognosci, & obijci cognitioni: sed propositio complexa est quæ cognoscitur, ergo est quæ obijcitur, seu id quod obiectum cognitionis est: hæc autem complexio de qua tractamus formaliter & proprie, est in conceptibus formalibus mentis, & inde participatur à signis vocum vel scripturarum, quibus illi conceptus exprimentur; rebus autem, seu subiectis solum tribuitur per denominationem extrinsecam à conceptibus, ergo ut supra notavimus ex D. Thom. non cognoscimus nisi per conceptus complexos, & per conclusiones quæ necessario complexæ sunt, quia per illas iudicamus negando vel affirmando, & ideo ipse D. Th. *disto art. 2.* dixit res, seu veritates cognitæ prout in se sunt, simplices esse, prout autem sunt in nobis per cognitionem esse complexas, utique denominatione ab actibus intellectus, hæc de causa dicitur Theologia naturalis versari circa obiectum complexum, quod autem dicit huiusmodi res in se simplices esse, non est intelligendum univèrsaliter de simplicitate, quæ excludit omnem compositionem, hoc enim proprium est earum veritatum, quæ ad divinitatem pertinent, nam huic complexioni Deus est independens, res simplicissima secundum se correspondet, at vero veritates metaphysicæ, quæ aliquod creatum continent, compositionem realem admittunt ipso obiecto, dicitur tamen illud simplex ut opponitur compositioni mentis.

3. Secunda conclusio, obiecta complexa partialia per se sunt plurima, ex quibus omnibus conflatur vnum obiectum adæquatum metaphysicæ complexum per se, quia omnia conveniunt in eadem ratione entitatis, & cognoscibilitatis, quæ est ratio formalis huius scientiæ. Hæc conclusio evidens est, nam quot sunt conclusiones, seu veritates complexæ in metaphysica circa subiectum illius, tot sunt obiecta partialia in hac scientia, sed in metaphysica sunt quamplurimæ veritates huiusmodi: ergo in metaphysica dan-

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tur plura obiecta partialia complexa, ex quibus omnibus conflatur vnum obiectum complexum adæquatum, sicut ex omnibus subiectis partialibus metaphysicæ per se coalescit vnum subiectum adæquatum per se.

Tertia conclusio inter obiecta tam in esse rei quam in esse scibilis datur ordo prioris & posterioris, & probatur primo, quia ubi est multitudo sine ordine ibi est confusio, & ita non potest esse unitas per se in obiecto metaphysicæ, ac proinde neque in ipsa metaphysica nisi inter obiecta cognoscibilia detur aliquis ordo.

Secundo quia inter obiecta sunt quædam, quæ ad Deum pertinent, sed illa sunt digniora his, quæ de creaturis agunt quia increata digniora sunt creatis, ideoque hæc ad illa ordinantur, sicut enim supra dictum fuit de subiectis metaphysicæ incomplexis, quod omnia ad Deum tanquam ad præcipuum subiectum ordinantur, ita veritates, quæ ad Deum ipsum pertinent primario intenduntur, & ad illas ceteræ ordinantur, unde fit consequens ut respectu etiam ipsius metaphysicæ habeant proportionatum ordinem, quia in univèrsum quælibet scientia magis propensa est in meliora ac nobiliora obiecta; interea autem quæ ad Deum pertinent, alia agunt de essentia Dei, alia de attributis divinis, alia de operationibus ad extra primæ causæ, inter quæ etiam datur ordo prioritatis; illa enim quæ ad essentiam Dei pertinent, priora sunt illis quæ ad attributa, & ista sunt priora illis, quæ de operationibus agunt, quia essentia radix attributorum, & attributa præcipue attributum omnipotentia radix, fons, & principium est operationum ad extra, cum autem ex eo quod res est, vel non est, propositio dicatur vera vel falsa, & veritas formalis sequatur veritatem obiectorum seu rerum, inde evenit, ut eo modo & ordine, quo sunt, & reperiuntur obiecta, reperiuntur etiam veritates formales, & obiecta sequantur veritatem subiecti & rerum, inde evenit ut si datur ordo fundamentalis prioris, & posterioris in rebus, reperiatur formaliter in propositionibus complexis.

Interea vero quæ ad creaturas pertinent, datur etiam talis ordo eo modo quo fuerit subiectum, nam veritates, quæ de substantia agunt, priores dignitate sunt ijs, quæ pertinent ad accidentia, & illa quæ pertinent ad substantiam spirituales priores sunt veritatibus tractantibus de corporea substantia, quia ut dixi eo modo est cognitio, quo fuerit subiectum illius cognitionis.

Item non solum datur ordo excellentiæ inter obiecta, sed etiam ordo dependentiæ, vel secundum se, vel in ordine ad nos, si enim creata, & increata, & divina comparentur, ab his pendent illa secundum dependentiam realem, si vero comparentur inter se habent ordinem respectu nostri intellectus, sic enim concipimus Deum esse volentem, quia est intelligens; esse infinitum, quia est independens, & sic de cæteris attributis, qui ordo solet sufficere ad scientiam, & demonstrationem, ac subinde ad connectionem rerum quæ cognoscuntur.

De priori autem doctrina certum est veritates pertinentes ad ens ut sic, & substantiam esse priores ijs, quæ pertinent ad inferiora illorum, quia cognitiones superiorum se habent ut præmissæ in syllogismis perfectis; cognitiones autem
D inferiorum

inferiorum sunt conclusiones, sed præmissæ sunt priores cognitione, quam conclusiones: ergo cognitio entis, & substantiæ præcedunt cognitionem inferiorum.

9 Tādē priora sunt inesse cognoscibilis principia complexa vniuersalia, & particularia in Theologia naturali ceteris cōclusionibus, & cognitionibus eiusdē: probatur sic, quia hæc veritates sunt à quibus dependet omnis cognitio scientifica, cum principia sint ratio formalis propter quam ceterarum cognitionum, sed ratio formalis propter quam petit necessario, vt sit obiectum prius cognitum, quam illud quod ab eo dependet: ergo principia sunt priora cognitione.

10 Declaratur amplius quia principia complexa non sunt rationes formales ex parte intellectus, sed ex parte obiecti cogniti, cum autem obiecta quæ debent cognosci propter illam non sint per se nota cognoscentibus, non potest in eis esse ratio assentiendi, vel immediata connectio terminorum vel veritas rei cum se ipso, quia hæc non videtur ab intellectu immediate, & ideo necessaria est alia ratio, in qua detur assensus scientificus: hæc autem ratio sunt principia complexa; ergo necessario debet præsupponi cognita quia impossibile est, vt moveatur, & attrahatur intellectus ad assensum propter aliquam rem, seu medium assentiendi, & quod tale medium non cognoscatur ab intellectu, intellectus enim solum movetur media cognitione, sicut in voluntate fieri non potest, vt aliquod obiectum, vel bonitas eius voluntatem moveat ad appetendum aliud quin præcognoscatur tale obiectum movens, ergo multo magis necessarium est in intellectu, vt medium quod intellectum movet ad assensum sic præcognitum ab illo.

11 Dices non esse necessarium vt principia præcognoscantur vt quod, sed sufficere præcognosci, vt quod.

Sed contra, & interrogo, an cognosci, vt quod sit verè cognosci, ita vt intellectus assentiatur, ita esse sicut necesse est, ad motivum assentiendi conclusioni, nam si hoc non est verè cognosci, instat ratio facta, quod impossibile sit talem rationem esse motivum indicans, & trahens intellectum ad assensum si non ante cognoscatur, si autem cognoscatur verè, & propriè principium falso dicitur, non esse obiectum quodcum in se terminet cognitionem mentis, & hoc sit cognosci vt quod.

12 Tandem quia intellectus non assentitur media Theologia naturali veritatibus, quæ sunt materialia obiecta tanquam sibi per se notis ex cognitione terminorum, quia intellectus non videt terminos pro vt in se sunt: ergo necesse est vt in aliquo medio cognoscat connectionem eorum, quod medium non est nisi principium: vnde necesse est vt intellectus propriè, & in se cognoscat tale medium, seu principium verè applicari tali obiecto vel materiæ, & habere proprietatem necessariam, vt reddat illud obiectum infallibiliter, & evidenter cognoscibile; hoc autem nihil aliud est, quam debere cognosci ipsum principium esse in se infallibile, esseque, quasi formam cadentem in tale obiectum, seu informantem illud, vt materiam, vnde evidenter colligitur debere cognosci, vt quod.

QVÆSTIO V.

Quod sit obiectum formale Theologiæ naturalis.

IN hac quæstione non quæritur, quid sit obiectum formale propter quod, quia licet in logica 9. 2. de principiis late probatum manet, obiectum formale propter quod cuiuscumque scientiæ sunt principia illius, vnde principia Theologiæ naturalis erunt obiectum formale propter quod huius scientiæ, solum enim quæritur hic quod sit obiectum formale motivum sub quo, & terminativum metaphysicæ.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA opinio asserit abstractionem à materia omnino esse obiectum formale sub quo huius scientiæ, sic omnes Thomistæ quibus consentit P. Suarez in metaphysica, licet negaverit esse obiectum formale propter quod disp. 1. sect. 2. num. 12. in fine, qui suam sententiam his verbis probat.

Primo, nam cum scientiæ sint de rebus ipsis, sintque maxime speculativæ, ideoque abstractione utantur vt constituent obiectum scibile de quo possint demonstrationes in fieri recte ex diverso modo abstractionis intelligitur variari obiectum scibile vt sic, & ideo hæc abstractio est ratio formalis sub qua in esse scibilis.

Secundo quia res eo sunt perfectius intelligibiles, quo magis abstrahunt à materia, & similiter cognitio, quæ est de obiecto immaterialiori, & abstractiori eo est certior, & ideo ex diverso gradu abstractionis recte consideratur varietas obiectorum scibilium, & scientiarum.

Secunda scientia est eorum, qui dicunt rationem formalem sub qua scientiæ esse illuminationem seu illustrationem refusam ab habitu in obiectum materiale, & idem dicunt de obiecto formali fidei, id est esse illuminatum à lumine ipsius ita vt nihil aliud sit quam obiectum materiale esse sub lumine fidei, sic Aragon. 2. 2. q. 1. art. 1. Banez, Albertus Magnus. qq. ex parte consentit P. Molina. 1. de quæst. 1. art. 3. disp. 2. & probatur sic.

Primo quia obiectum formale intellectus scientificæ tendentis in obiectum materiale est res evidens, sed non potest esse talis nisi illuminetur à claritate, & evidenti scientiæ; ergo talis illuminatio refusa in obiectum erit ratio formalis, maior sic patet quia in hoc distinguitur scientia à fide, & ab opinione, quia illa tendit in obiectum evidens, hæc vero in obscurum.

Secundo quia illud quod est distinctivum scientiæ à quolibet alio est ratio formalis illius, sed per illuminationem ab evidentiā scientiæ distinguitur scientia à quolibet habitu, in quo non potest dari evidentiæ, & claritatis illuminatio; ergo.

SECTIO